

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 89. (*Neovidensis* 1806. Nro. 83.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Samuel Puffendorfius salutem nunciat cuidam
Germanico Ministro.

Elysium. Meum. - Die Martis 28. Octob. 1806 (*Neov.* 14. Octob.)

Dum adhuc apud superos degerem, legi in quodam Itinerario, fuisse in America in certo parvo terrae tractu, pone fluvium Mississippi Imperantem, qui quotidie mane ex suo tugurio prodiens, Soli viam monstrabat, qua iter faceret. Regulus iste fuerit verus Philosophus; ostendit enim suo facto, mundum sua sponte progredi, nihilque esse facilius, quam indicare soli cursum, quem inde a principio conditi orbis tenuit. Non est ne haec facilis ars regnandi? Ita facilia, et comoda sunt fere omnia imperia tempore pacis. Sinimus mundum, et solem incedere more solito, et — mundus fertur cursu naturali.

Sed si ingruat belli tempestas? ars artium est sedere ad clavum, ipsa adeo Gens, quae nulli implicita est bello, intenta esse debet, an non occupatae, vel amissae provinciae eum sitam obtineant, ut novis suis limibus possent eidem nocumentum adferre. Quapropter ita existimo, Genti neutrali majorem

sollicitudinem esse adhibendam, quam belligeranti, et omnia belli consecutaria accuratius expendenda.

Nuperrime mihi novus advena in nostras sedes totam seriem praesentium temporum exposuit. Ingenue fateor, me attonitum esse redditum. Cessatio Romani Imperii, atque bellum contra Borussia, vehementer perturbavit meam antiquam germanicam cogitandi rationem. Labet de hoc argumento, ejusque sequelis meas observationes adnotare, forte placebunt nonnullis peritis Pollicis. Accipe itaque mea sensa.

Gallia occupando Dalmatiam, et Albaniam non mediocrem consecuta est auctoritatem in Turciam; jam autem quisque perspicit, Russiam omnem moturam lapidem, ut Gallos ab hac vicinia Turcarum removeat. Gallica vis triumphavit; duo Governatores Moldaviae, et Valachiae, patrocinio Russico innoxii vitam suam fuga salvarunt, et abi iis fideiiores suffecti sunt. Hac ratione Russorum potestas apud Turcas evuluit, quod Aulæ Petropolitanae omnino ingratum erit, gravesque post se trahet eventus.

Publicæ ephemerides habebant; Russicis exercitum irrupisse in Moldaviam, ut progrediendo per Valachiam se cum Servis conjungeret; et tandem cum nigro montanis, sique Dalmatiam occuparet; quod quidem usque ad hanc diem confirmatum non est; si tamen situm spectemus negotiorum poliz

ticorum
ctui da
Q

set, no
terito l
zov su
movit
sternat
Hunga
sent R
certo
Venet
Europ
garian
tendi,
ducer
medic
rari d
qui s
fuit R

H
Russi
mitte
cili q
tes s
quam
bella
nequ

diciu
statu
poliz
dice



ticorum, verisimile est, ut tentetur, et effectui datur.

Quid ex tali proposito sequi necesse esset, nequit in calculum vocari. Dum praeterito bello turcico Russicus bellidux Romanzov suum exercitum usque ad Danubium promovit, Aula Vindobonensis non in levem consternationem fuit coniecta; quae fata fuissent Hungariae, si Moldavia, et Valachia fuissent Russorum ditioni subjectae? Quam incerto stetissent pede Bulgaria, possessiones Venetae, et ipsa Constantinopolis? Turcia Europaea a Russis occupata, posset per Hungariam usque ad mediterraneum Germaniae extendi, et progressu temporis universalem inducere dominationem. Confusio non esset mediocris; et profecto, his consideratis, mirari debemus politicam Josephi Imperatoris — qui sub ministerio sapientis Kaunitzii auxilio fuit Russis in occupanda Crimea.

Haec anxietates certe recrudescerent, si Russia consilium susciperet suas copias immittendi in Moldaviam, et Valachiam. Facili conjectura licet assequi, quas tunc partes sequi cogeretur Domus Austriaca; sed quam horrida, ex hac politica nascerentur bella. Qui tristes inde promanarent eventus, nequeunt satis praevideri.

Atque hoc est meum diu meditatam iudicium, quod Germanico proponere Ministro statui. Pertinet illud ad gravissima negotia politica, quae praeteriri nequeunt. Plus me dicere non oportet. *Sapienti pauca.*



Quod praeterea advenae in Elysium nar-
rant, consistit in quotidianis novitatibus,
nominatim in sequentibus Londino 30. Se-
ptembris allatis: — Heri a meridie venit ex-
spectatus Parisiis a Lordo Lauderdale nun-
cius cum scriptis, de quorum tenore habitum
consilium missum est Parisios, vix ille ap-
pulerat, didita est per totam urbem fama,
allata esse ab illo praeliminaria pacis; sed
id nemine credente, publicarum pecuniarum
valor non est auctus.

Heri circa horam secundam pomeridia-
nam iterum celebratum est apud Lordium
Hovick consilium, cui omnes in civitate exi-
sistentes Ministri intererant. Eadem die ad-
venerat ex Sicilia D. Elliot, a quo allatae
itterae occasionem dederunt convocandi Se-
natus.

Nudius tertius congregati aerarii publici
administri deliberabant de supplici libello so-
cietatis negotiatoriae hispanicae per Agentem
Londinensem porrecto, in quo expositum est,
in navi Narcisso deprehensas pecunias, et ex
Buenos Aires in Angliam advectas non esse
Hispanici Gubernatoris, sed privatorum, ad
promovendum commercium illuc delatas,
qua de causa restitui petuntur.

Fertur Dominus Fitzpatrik se munere
bellici Secretarii abdicasse, et in ejus locum
substituendus D. Whitbread.

Bellie a novis *Terrible*, et celox *Decade*
elapso die Sabbathi intrarunt portum Plymu-
thae a. Erant pars classis Richardi Stra-

chan, quam validus turbo 19. Augusti disjecit. Supra dicta navis caret omnibus malis, uti etiam alia *Audacieux* ex eadem classe, sed quae nondum rediit.

Garlandius, pirata Hullensis 18 tormentorum die 3. Junii cepit Hispanicam navim 26. tormentorum, quae 60 millia Piastrorum, et varias pretiosas merces vehebat.

Incredibilis copia navium paratur ad *Buenos Aires*. Duae naves ex hoc novo commercio jam insigne lucrum traxerunt: Vela nempe solverant ad Indiam orientalem, sed observantes Generalem Beresford properare ad occupandum oppidum Bonum aërem *Buenos Aires*, sequebantur eum, mercesque suas distraxerunt cum lucro 25 fl. a 100. Mercatoriae naves numero 165 ex India occidentali post iter 8. hebdomadarum feliciter repeterunt patriam.

Vesperi die Sabbathi editae sunt Aulicae ephemerides, in iisque publicatum Regis editum, obsidione solutos esse omnes Borussicos portus, oras, ac fluvios inde ab Albi usque ad Amisiam; Hinc patet actum fuisse de reducenda pace. Certo affirmatur Lordius Morphet iturus Berolinum. Palam narratur, Borussiam obtulisse restitutionem Hannoverae, de qua re tamen multi dubitant.

Litteris Baltimorensibus de 19. Augusti certiores fimus; Anglicam, et gallicam classem a se invicem non distare procul; et quidem gallicam vel impetum facturam in no-

vam Fundlandiam, vel ingressuram portum Bostoniensem.

Harvico scribitur publicus tabellarius Vegstafte summa cum celeritate Hamburgum discesisse.

Bamberga 8. Octobris.

Sua Majestas, Imperator, et ex Rex Napoleon sequenti oratione affatus est suum exercitum:

Milites! omnes dispositiones pro vestro in Galliam reditu jam erant factae, et vos jam ad ejus limites accedebatis; solennia triumphalia vos exspectabant, atque ad vos excipiendos splendidi fiebant principe in urbe apparatus.

Ast nobis ita secure domum revertentibus cudebatur sub specie amicitiae nova factio, classicum insonuit Berolini; jam a duobus mensibus quotidie magis, ac magis provocabamur. Idem furor, qui vigentibus apud nos internis dissensionibus, ante 14 annos Borussos deduxit ad planitiem Campaniae, regit eorum consilia. Si non sunt Parisii, quos igne cremare, et funditus evertere cupiunt, sunt certe metropoles nostrorum foederatorum, in quibus sua defigere volunt signa; est Saxonia, quam turpi conventionem cogent renunciare libertati, suaeque subjiciunt ditioni, sunt vestrae laurus, quas vobis de frontibus detrahare intendunt. Ergone nos copias nostras ex germania educamus? O insanos! Sciant itaque, facilius esse sedem Regiam demoliri, quam sinere, ut nomini filio-

rum magni populi ignominia inuratur. Eorum conatus jam tunc incassum cecidit, in campis campanensibus affecti sunt clade, et infamia: verum monita experientiae negliguntur, dantur enim mortales; in quorum animis odium, atque aemulatio nunquam extingvuntur:

Athletae! nullus vestrum est, qui aliam, quam honoris via optaret in Galliam remeare, fixum est illuc nonnisi triumphalibus ingredi curribus. Quid? ideone incommoda tempestatum, marium; et desertorum superavimus, ideone jam saepius contra nos consurgentem Europam domuimus, ideone nostram gloriam ad ortu solis usque ad occasum circumtulimus, ut hodie nostros socios deseramus, et velut fugitivi in patriam revertamur, dicique de nobis audiamus, ad conspectum exercitus Borussici aquilae gallicae meae, ac tremore percussae sunt? Sed jam ad excubias nostras exteriores appropinquarunt. — Itaque ad arma pugiles! Cum enim moderatio tam inauditam ambitionem lenire non potuerit, subeat Borussicus exercitus idem fatum, in quod incidit ante 14 annos; Noverit, facile esse amicitia magni populi regna, et potentiam augere, ejus vero inimicitiam (quae nonnisi abjecta omni prudentia irritari potest) terribiliorem esse furente Oceano.

Datum in nostro Caesareo primario hospitio, Bambergae 6. Octobris 1806.

Napoleon.

BIOGRAPHIA.

Samuel Puffendorf in pago Fleh prope Misniam natus patre loci pastore A. 1631 Jura audivit Lipsiae, seque potissimum tradidit excolendo Juri publico, et Gentium, praeterea singulari cum diligentia tractavit Philosophiam Cartesianam. A. 1658. educandum suscepit juvenem Coyet, cujus Pater Svecici legati munere fungebatur Hafniae. Exorto inter Svecos, et Danos bello cum legato datus est custodiae, ibique spatio 8 mensium detentus, quo tempore scripsit elementa universalis Jurisprudendiae. Hoc opus tantam ei peperit celebritatem, ut ab Electore Palatino, Carolo Ludovico, nominaretur Professor Juris Naturae in Academia Heidelbergensi. In hac statione permansit Puffendorffius usque ad annum 1670, unde eum Carolus XI. Rex Sveciae Holmiam evocatum creavit Historicum, Consiliarium, retulitque in ordinem liberorum Baronum. Puffendorffius ita publice, privatimque celebrabatur, ut viri maximi amplissima ei obtulerint munia, venit ille ad Electorem Brandenburgicum, qui ei commisit scribendam historiam Electoris Wilhelmi Magni. Hic honoribus ornatus Doctor obiit Berolini anno aetatis 63 post Christum natum 1694. Multos edidit libros: Historiam Sveciae, Res gestas Friderici Wilhelmi Magni, Electoris Brandenburgici, statum Imperii germanici, ubi humana utendo experssione nostram germanicam imperii formam dixit *confusionem divinitus conservatam.*

N E

Nro

Elysium

In ce
tate M
structu
Fuit s
tum;
quam
templ
ces e
certe
nunci
quillit
illecel
sempe
Intron
isthoc
cilium
ptum